



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Sacris initiatur Jgnatius: & de rebus ab eodem, & sociis in Veneta ditione
gestis. Cap. IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

egregium qua Christianæ humilitatis atque modestiæ, qua eruditionis & ingenij specimen præbuis-
sent; non modo quæ volebant de sacerdotio, deque
Hierosolymitana prouincia, libenti atque appro-
bante Pontifice impetrarunt, sed insuper pecunia
ab eodem instructi, & fausta cum prece dimissi sunt.
Ad quam deinde pecuniam cum è nationis maxime
Hispanicæ collatione accessisset quod aureorum
amplius ducentorú summam expleret; socij ne quid
ex eo viatico præterquã in ysum votiua nauigatio-
nis attingerent, apud mēsarios pecunia omni depo-
sita, & Romæ victum emendicantes, admirabile de-
dere spectaculum ijs qui corã Pontifice differentes
illos audierant: & deinde quemadmodũ venerant,
sic Venetias prorsus egentes ac vacui reuerterunt.

*Sacris initiatur Ignatius: & de rebus ab eodem &
socijs in Veneta dititione gestis. CAP. IV.*

POST hæc, diligenti adhibita preparatio-
ne, cum ad eiusdem Legati Veralli pedes
perpetuæ paupertatis & castimoniæ nũ-
cupassent vota, diuini amoris igne succē-
si, mirante, ac maiorem in modum approbante po-
pulo, sese denuo ad pristinos illos labores, & assi-
dua pauperum ministeria retulerunt. Deinde in exi-
tu mensis Iunij diui Ioannis Baptistæ die natali,
Ignatius, & reliqui laici per omnes ordinum gradus
ad apicem sacerdotij ab Arbensi Episcopo euecti
sunt, tanta non modo ipsorum, sed etiam Episcopi
iætitia & animi voluptate, vt sese inter eiusmodi cę-
remonias nihil vnaquam simile sensisse affirmaret.
Interea Patribus neque in eam diem vlla fuerat in
Palæsti-

Palæstinam transmittendi facultas; & eo ipso tem-
 pore cum graue bellum ex fœdere Christianorum
 principum, Venetos inter & Solymanum Turcam
 exarsisset, sublato repente commercio, omnis non
 modo peregrinorum, sed etiam institorum nauiga-
 tio conqueuit. vt satis appareat, cæleste numen ira-
 tum gentibus ijs, quæ creditum sibi regnum Dei per
 summum olim scelus negligentiamque amisere; A-
 postolicum hunc, deuotū q. sibi manipulum, in alias
 longe nationes atq. prouincias iusto iā ante iudicio
 destinasse. Itaq. propter eam quam dixi causam, spe
 traijciendi sublata, quamquam voti religione soluti
 videri propemodū poterant, tamē ne quis omnino
 scrupulus animis infideret, finem anni vertentis, vt
 Parisijs ante decreuerāt, prorsus expectare, seq. in-
 terim tum ad sacerdotij primitias diuinæ maieſtati
 libandas omni diligentia cōparare; tum etiam post
 multam precationem & abstinētiā, proximis ope-
 ram ex instituto nauare cōstituunt. Id quo liberius
 atq. cōmodius facerent, ex tantæ vrbs celebritate
 ac frequētia, in finitima eiusdem ditionis oppida a-
 lio atq. alio recepere sese: vt si forte (quod tamen in
 præsentia vix fieri poterat) bello sedato præter opi-
 nionē transitus patuisset, è propinquo Venetias cū-
 cti simul accurrerent. Franciscus ergo Xauerius, &
 Salmeron, ad montē Celsum (id vico nomē ab vrbe
 Patauio millibus passuū fere xv.) secessere, Ioannes
 Codurius, & Hozius, Taruisium; Claudius Iaius, &
 Simō Rodericus Bassanum, oppidum agri Patauini;
 Paschasius & Bobadilla, Veronā; Ignatius vero, Fa-
 ber, & Laines, cum Vicetiam petijſſent, hanc vitæ
 rationem iniere. Erat extra urbem domūcula ruino-
 sa & deserta, nullis foribus aut fenestrarū obicibus,

vento cuiuslibet peruia. id sibi diuersoriū, ne cui molestiam exhiberent, atq. vt ab urbano strepitu remoti liberius vni Deo vacarent, memores insuper stabuli quod Regem ipsum angelorum nostra causa nascentem olim exceperat, vnanimes delegerunt, quotidianis muneribus ita inter se distributis; vt vnus ad custodiam diuersorij, & paucula victus ministeria remaneret (qui ferme erat Ignatius, quod propter nimiam lacrymarum copiam grauius ex oculis laboraret) reliqui duo urbem ingressi, cibum in singulos dies emendicarent: quod ab ea functione superesset otij, totum id omnes caelestium rerum contemplationi & prædicationi tribuerent. In hoc vitæ genere cum quadraginta iam dies non minori caelestium donorum copia, & animorum voluptate, quàm corporum vexatione, & carnis incommodo perstitissent, quanto nimirum spatio temporis, Christum ipsum Dominum ac magistrum, ante quàm turbæ sese committeret, abstinuisset cibo, & in eremo cum bestiis latitasse meminerant; ad eos reuifendos Taruisio repente Codurius affuit. cuius accessu læti, cū spiritus vehementiam ex ea solitudine, assiduitate precandi, ieiunijque conceptam diutius cohibere non possent; ad Christi gloriam ex umbra in arenā prodire, & quæ diuinitus acceperāt bona, cum proximis communicare constituunt. Nec mora: Vicetia ingressi, descriptis inter se celeberrimis oppidi partibus, eadem omnes hora de rebus diuinis ad populum dicere incipiunt, nullo prorsus aut loci apparatu, aut pompa verborum. In triuijs, plateisve, prout cuiq. locus obtigerat, desumpto ex aliqua forte officina scanno pro suggestu utebantur. populum elata voce, & in gyrum actō supra verticem pileo, ad

concionem

concionem inuitabant. sermo, vt peregrinorum &
 hospitem, ex varijs linguis fere mistus, ac minime
 proprius. Verumtamen is erat orationis impetus,
 adeo graues ac veræ sententiæ, tanta in omni gestu
 atque habitu pietas, denique is ardor in oculis emi-
 cabat, vt peritissimus quisque rerum æstimator hos
 demum esse Christianos concionatores, germanos-
 que præcones Euangelij dictitaret: multi etiam qui
 rei nouitate illecti cū ceteris initio per iocum lasciu-
 uiamq. ludibundi confluerant, prudentissimis eo-
 rum præceptis, & dicendi grauitate permoti, depo-
 sita paulatim petulantia longe alij quàm accefferāt,
 dimissa concione recederent. Quòd si quis deinde
 seorsum ad Patres adiret, veritatis & officij studio-
 sior; hunc vero humanissime acceptum, pro ipsius
 ingenio priuatis institutionibus ad omnem virtutē
 ac religionem informabāt. Illud vero præcipue rem
 adiuuabat, quòd neq. inanes plausus, vt diximus, fu-
 cata oratione captarent; neq. inter ipsam cōcionem,
 aut vbi peroratum esset, quāquam in summa rerum
 omnium inopia, quidquam à circumfusa multitudi-
 ne vel peterent ipsi, vel etiam vltro delatum accipe-
 rent. breuiq. constare cœpit, paupere tecto ciboque
 contentos, & ab omni auaritia & vanitate abhorre-
 tes, non aures populi scalpere, sed vulneribus omni
 ratione mederi; nec suum potius, quàm Dei proxi-
 morumq. negotium agere. Atq. haud sane dissimi-
 lis fuit ceterorum Patrum in sua cuiusq. prouincia
 probitas & industria; vt etiam aliqui ex magnis la-
 boribus & incōmodis extremum adierint vitæ di-
 scrimen. Neq. ita multo post, cum euocati ab Igna-
 tio vt de rebus communibus agerent, cuncti Vice-
 tiam conuenissent; tanta animorum inclinatio, ac

beneuolentia populi Vicerini erga peregrinos apparuit, vt qua nuper in vrbe, tribus dūtaxat, cibarij panis, ac fere mucidi, quotidiana vix circuitione colligebatur quod satis esset ad vitam ægerrime tolerādam; in eadem, ipsis iam vndecim, ex voluntarijs ciuium elemosynis omnia ad victū cultumq. necessaria large ac benigne suppeterent. Ibidem igitur primas diuinæ maiestati hostias immolauere noui sacerdotes, vno Ignatio excepto, quippe qui ad se cōparandum amplius adhuc tēporis sibi sumpserat, & Romę postea sacrificandi fecit initiū ad ipsum Pręsepe & incunabula Christi Domini, quę in æde sacratissima beatæ MARIE ad Niues religiose coluntur.

Ignatio Romam appropinquanti Christus apparet: & vnde Societati IESV nomen inditū fuerit. C A P. V.



quoniam expeditioni transmarinæ præfinitum anni spatium erat in exitu; & infestum adhuc classibus mare; quid proinde agendum esset, Patres inter se deliberant: nec dubium fuit, quin, vt Lutetiæ vouerant, cuncti sese ad fidei catholicæ propagationem, & animarū auxilium, Sedis Apostolicæ cultui, & Romani Pontificis obsequio manciparēt. Cuius officij procuratio (quoniā satis id esse videbatur) Ignatio, & duobus primarijs patribus Fabro & Laini mandata est; Romam adirēt, & (quod bene verteret) Christi Vicario hęc sociorū studia ac vota quāprimum exponerēt. Interea reliqui, ne cōceptus è diuturna meditatione & sacrificijs feruor ac spiritus euanesceret, nō modo se ipsi diligētissime custodire, sed etiā præfidiij